

LEONI DECIMO

PONTIFICI MODIS OMNIBVS SVMMO,
Erasmus Roterodamus Theologorum
infimus, S. D.



INTER tot egregia decora, Leo decime, pontifex maxime, quibus undiq; clarus & suspiciendus, ad pontificiæ dignitatis culmē adisti, hinc infinitis Medicæ domus ornamentis, non minus eruditorū hominum monumentis, quā maiorū tuorum imaginibus & honoribus indytā, hinc innumeris corporis animiq; dotibus, quas partim diuini numinis indulſit benignitas, partim eadem aspirante, tua parauit industria, nō alia res te uerius, aut magnificentius illustrauit, q̃ quod ad istū honorem, quo maior inter homines, homini non potest contingere, parem morum attuleris innocentia, neq; uero uitam modo ab omni dedecore longe, latēq; semotam, uerū etiam famam, nulla unq; sinistri rumoris labe aspersam. Id quod cum ubiq; difficillimum est, tum præcipue Rhomæ, cuius urbis tanta est libertas, ne dicam petulātia, ut illic à conuicijs parum tuta sit & integritas, ac ne ij quidem absint à crimine, qui plurimum absunt à uitjs. Quibus rebus factum est, ut Leoni non paulo plus ueræ laudis pepererit, quod summū pontificium promeruisset, q̃ quod accepisset. Iam in ipsa pulcherrimi simul & sanctissimi muneris functione, cum tot prædatis factis, tot eximijs uirtutibus susceptum honorem uicissim cohonestes, nihil tamen est, quod te superis pariter & mortalibus commēdet efficacius: quā quod summo studio, pariēq; sapientia, illud potissimū agis ac moliris, ut indies in melius prouehat Christiana pietas, hactenus temporum maximēq; bellorū uitio, nō nihil labefacta collapsaq; ut est cæterarū item omnium rerum humanarum natura, ni manibus pedibsq; obnitamur, paulatim in deterius relabi, uelutiēq; degenerare. At res egregias aliquoties ut difficilior, ita & pulchrius est restituisse, q̃ condidisse. Proinde quādo tu nobis uelut alterum præstas Esdram, & sedatis, quod in te fuit, bellorum procellis, fariendæ religionis prouinciā, strenue capessis, par est nimirum, ut omnes ubiq; gentium ac terrarū Christiani, rem omnium pulcherrimā ac saluberrimā conantem,

A 2 pro sua

